



ANN. XXII - N. 134

MM. JULIO et AUGUSTO

AN. D. MCMLII

S U M M A R I U M

Pueri in Palaestra ludunt,	Vidal, Augé, Elcano, Alonso
Thesaurus Linguae Latinae,	Jiménez
Nomenclatura vestiaria,	Holzer
Cursus Gymnasticus,	Mir
Certamen Capitolinum III.	
Conjectanea Graeca,	Orth
Commercium epistulare,	Avenario, Holzer
Nova et Vetera,	González
Bibliographia,	González, Bellet, Severinus, Molina
Compositiones Vertendae.	

Pueri in Palaestra ludunt

Mariae sunt meae rosae

*Mater, hoc mensi volo, quo jucundos
Delicatos dant rosa flosque odores,
Et tibi rosas dare quae meo horto
Perbene legi.
Offero simul tibi, Mater, hortum
Liliis cordis sine labe plenum,
Candidi sicut pueri, rosisque:
Accipe, Mater.*

JACOBUS VIDAL GARCÍA
e V Latinitatis cursu. — Cehegín

Accipe, Mater

*Molle cor Matris, studiosa Virgo,
Roscidos flores nitidos et albos
Offero laetus teque, Mater, oro:
Accipe carmen.
Carmen excultum tenerumque, Virgo,
Candidum pectus calidumque praebet,
Blandula, o Mater, mihi quae dona
Lumen amoris.*

M. AUGÉ, C. M. P.
e V Latinitatis cursu. — Barbastro

Pastor

*Sibilus, pastor, tener atque mollis
Creditos agnos in ovile dicit
Perditum portans umeris, acutis
Sentibus agnum.*

ELCANO, C. M. P.
e V Latinitatis cursu. — Barbastro

Somni interpretatio

Plato, vir singulari et ferme divino ingenio, scriptum reliquit Eudemus a Cypro, familiarem suum, cum iter in Macedoniam faceret, provectum esse Pheras, quae erat nobilis illius temporis civitas Thessaliae et dominatu a crudeli Alexandro tenebatur; in illo oppido ita graviter aegrum fuisse ut omnes medici diffiderent; in quiete juvenem egregia facie visum dixisse perbrevi fore ut convalesceret et paucis post diebus crudelis Alexander interiret et ipse Eudemus domum post quinque annos rediret. Atque ita scribit Plato consecutum esse et Eudemus convaluisse et caesum esse tyrannum a fratribus uxoris suae, illum autem quinto exeunte anno, cum illi esset spes ex illo somnio a Sicilia in Cyprum redeundi, cecidisse dimicando apud Syracusas, ex quo illud somnium esse ita expositum ut cum animus excessisset Eudemus ex corpore, in suam domum rediisse videatur.

GEORGIVS ALONSO, C. M. P.
Villae Rosarii in Argentina

PALAESTRA LATINA

PRETUM SUBNOTATIONIS ANNUAE: 20 pesetarum in Hispania et America. 25 pesetarum in reliquis civitatibus.

Premium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona.

Scripta ad Moderatorem: Conde, s, Barbastro (Huesca)

Thesaurus Linguae Latinae

Neminem fore credo mediocriter in lingua Latina versatum, quin de hoc ladauto *Thesauro*, consilio et auctoritate Germanicarum Academiarum edito, quidquam saltem audierit. Est enim maximus in lexicographia Latina conatus, quod ego sciam.

Post diutina tentamina et labores plurimos tandem anno 1.900 volumen primum prodibat et, quanquam spes erat intra quindecim annos opus omnino perficiendi, tantae molis erat negotium susceptum et tantae rerum perturbationes obortae, ut post annos quinquaginta opus vix dimidiatum invenias.

Cum vero de re agatur haud parvi momenti, nonnulla placuit lectoribus forte ignota aut minus cognita referre de exordio, ratione operis, moderatoribus et conscriptoribus hujus *Thesauri*, de ejusdem vicissitudinibus et sede.

1. Exordium Thesauri

Fridericus Augustus WOLFIUS primus in Germania agitavisse fertur consilium de novo Latinae Linguae Thesauro Gesneriano et Forcelliniano locupletiore ordinando, qui non modo omnia vocabula complecteretur, sed etiam unius cujusque ab origine ad exitum vocabuli vitam ex temporum rerumque mutationibus a primis scriptoribus explicatam et enucleatam traderet. Quod consilium ad proxim reducendum sibi proposuerunt anno jam 1.857 Fridericus RITSCHL Bonnensis, Carolus HALM Monacensis, Alfridius FLECKEISEN Francofurtanus. Sed vix ratio operis statuta erat muneraque inter sodales distributa, cum inopia rei pecuniariae prohibuit ne susceptum opus ulterius prosequi posset. Nequaquam vero omnino desperandum erat. Remanebat enim et in annos augebatur *Thesauri* novi vetus ac vehemens desiderium.

In primis Eduardus WOELFFLIN, qui Halmo Monacensi successerat, pristinam spem restituit. Causam quoque Ritschelli suscepit eo tempore Martinus HERTZ Vratislaviensis. Denique anno 1893 ad finem vergente, in conventu philologico Francofurti habito, cui adfuit Theodorus MOMMSEM, pacta est societas ad novum *Thesaurum* perficiendum. Huic societati nomen dederunt Academiae Germanicae primariae, quorum legati fuerunt Hermanus DIELS et Udalricus WILLAMOWITZ Berolinenses, Fridericus LEO Gottingensis, Otto RIBBECK et post ejus obitum Carolus BRUGMANN Lipsienses, Eduardus WOELFFLIN Monacensis, Gulielmus HARTEL Vindobonensis. Ad ordinandum *Thesaurum* cooptatus est praeterea Franciscus BUECHELER Bonnensis.

2. *De ratione operis*

Omnes ad negotium «Thesauri» magno ardore se accinxerunt, consciū momentī et laboris rei susceptae. Atque in primis cura fuit de schedarum seu chartularum transcriptione, quae in magno archivō Monacensi in postērum servarentur. Colligenda erant omnia vocabula, quae in Latinis scriptoribus ante Antoninos continentur, idque magna diligentia et sollertia ex optimis et fidelissimis editionibus excerpta et exscripta. Neque verba tantum erant transcribenda, sed et contextus. Immo transcriptio haec non semel tantum, sed semel iterumque.

Unde curandum erat primum de editionum selectione. Labor quidem arduus, qui tamen levior factus est opera et studio clariorum tum Germanicorum tum aliorum populorum philologorum.

Editionibus criticis statutis, juvenes conscriptores ad schedarum transcriptionem operam praestiterunt. Post aliquot annos plus deciens centena milia octodecienis ducta schedarum in archivō generali reposita sunt.

Jam vero ad confectionem dictionarii perventum erat. Huic labori praeerat moderator seu praefectus «Thesauri», qui coadjutores seu conscriptores designabat Germanos seu exterios.

Conscriptor, ut munus suum accurate perficeret, debebat:

- a) schedas colligere quae in archivō asservarentur;
- b) singulas conferre cum editione critica, ne forte quid immutatum esset;
- c) studia seu commentationes, quae his temporibus essent editae, recognoscere;
- d) schedas juxta varios sensus scriptoresque ordinare;
- e) vocem de qua agebatur collustrare adnotationibus etymologicis, orthographicis, semanticis, romanicis.

Quae oīnnia, priusquam prelo committantur, ut a praefecto seu moderatore probentur, opus est ut regulas consribendi et subsignandi ad amussim serventur foliaque adversaria, a duobus vel tribus judicibus recognita, semel iterumque in melius corrigantur, ita ut opus omnibus numeris perfectum remaneat.

3. *Moderatores et conscriptores*

Mentionem supra fecimus clariorum virorum qui operam dederant incepto operi. Sub finem transacti saeculi foedus cum Teubnero Lipsiensi bibliopolā pactum est de novo «Thesauro edendo. Tunc rector seu moderator operis creatus est Fridericus VOLLMER, qui, omnibus aliis officiis relictis, Bruxellis Monachium petit, ut editionem «Thesauri» curaret ac moderaretur. Habuit praeterea juvenes adjutores, quos inter memoria dignus est Oscar HEY «Thesauri», secretarius. Ceterorum exstant nomina in vol. III quod anno 1905 edi coepit: Georgius KEMPF, R. MULLER, Augustus ZIMMERMANN, Alfridius GUDEMANN, Curtius WULFF.

Postea moderatoris officium transiit ad Ernestum LOMMATZSCH et ad Maximilianum IHM, qui alteram operis partem ordinandam et corrigendam suscepit. Hic, postquam in universitatem Halensem avocatus est, succesorem habuit Bertoldum MAURENBRECHER.

Opificum collegium per annos 1907-1909 auctum est, sodalibus Johanne B. HOFMANN, Friderico REISCH, Aloisio WALDE, Georgio DITTMANN.

Jam ad vol. VI ventum erat, cuius pars prima annis 1912-1916 prodibat pars vero altera quae a littera G incipit, non nisi annis 1925-1934 sub regimine M. LEUMMANN, quem, quaternionibus septem confectis, secutus est O. HEY in munus moderatoris. Tertia pars hujus vol. VI ad annos 1936-1942 procrastinata est. Huic praefuerunt primo Georgius DITTMANN, deinde Henricus HAFFTER, postea Gulielmus EHLERS, cui in bellum profecto successit Joh. RUBENBAUER.

Tunc temporis notas etymologicas suppeditabat J. B. HOFMANN, romanicas Gulielmus MEYER-LUEBKE. Opem quoque praestiterant inter alios variis temporibus W. M. LINDSAY professor Andreopolitanus Britannorum et Max. NIEDERMANN, rector Universitatis Neocomensis Helvetiorum, J. SUENNUNG Upsalensis, Ludovicus CASTIGLIONE Mediolanensis, C. Díaz in Compostellana Universitate professor.

4. *De Thesauri vicissitudinibus et sede*

Consilium perficiendi opus intra quindecim annos, ut erat constitutum, et moles tanti operis vetuit et rerum temporumque perturbationes. Primum, alterum, tertium volumen ab anno 1900 ad annum 1912 majori mora in dies prodibant. Deerat pecuniarum copia, deerant experti viri.

Sed tum revera labores «Thesauri» detineri coepti sunt, cum atra bella universam fere Europam caedibus, excidiis, ruinis impleverant. «Thesaurum» in tantas angustias perductum esse dixeris, supra omnium spem procrastinari videretur. Itaque vol. V quod anno 1910 edi coeptum est, anno 1949 nondum ad finem deductum erat. Eo tempore fasc. XII prodibat verba ab «expono», in «exspecto» complectens. Tamen prodierant quoque vol. III quinqui primi fasciculi usque ad vocem «mercor».

Annis 1907-1913, mutato consilio de nominibus propriis a ceteris vocabulis segregatis edendis, prodit volumen alterum onomasticum, in quo continentur nomina propria quorum prima littera est «c». Reliqua nomina propria a litteris «a» et «b» incipientia, quae cum appellativis conjuncta leguntur consilium est comprehendi in primo onomastici volumine. Adde difficultatem haud parvam, quae orta est ex eo quod sedes Monacensis, post ultimum exitiale bellum, restat a bibliopola Lipsiensi sejuncta, ideoque cura corrigendi edendos fasciculos eosque editos ad socios mittendi fit difficilior et tardior.

De hoc tamen Deo gratias agendum est, quod in tot tantarumque aedium ruinis quibus Monachium fere fractum dirutumque videtur in ultima fera et horrenda hominum contentione, sedes Thesauri incolumis evasit. Ibi nunc (München 2 (13 b) Arcisstrasse) sub Hofmann, indefesso sene et Ehrlers claro viro, renovatis viribus, laborant coadjutores «Thesauri» quinque Germani, duo Helvetii, ex Hispania et Hollandia singuli. Liceat mihi votum expromere ut pax, quae alit aries animosque refovet, diutina, firma, suavis nobis arrideat, namque ea favente hic totius linguae Latinae Thesaurus, sapientium indefensi laboris monumentum, cito citius fine coronatus patebit.

J. JIMÉNEZ, C. M. F.

Nomenclatura vestiaria⁽¹⁾

raglán	Raglan	<i>ependytes raglanianus</i>
(Chambers's Twentieth Century Dictionary of the English Language ed. Rev. Thomas Davidson London 1901, p. 764 sub voce Raglan, ubi haec leguntur: Raglan, n. s. loose, wadesleaved overcoat. From Lord Raglan (1788-1855), commander of the English forces in the Crimea). Quae vox mihi tolerabilis videatur, quia etiam apud veteres ejusmodi vocis formatio exstat: <i>cinctus Gabinianus</i>).		
abrigo ancho de deporte sin cinturón	Slipon	<i>epitogium supertrindorium</i>
guardapolvo	Staumantel	<i>epitogium pulverarium</i>
Ulster, abrigo cruzado	Ulster	<i>superindumentum ultonianum</i>
(Ulster Hiberniae provincia, unde nomen).		
abrigo, sobretodo	Ueberzicher	<i>superindumentum</i>
34 hongo (sombrero)	Melone	<i>galerus durus aut rigidus</i>
35 muestra	Muster	<i>designatio, descriptio</i>
96 elástica (jersey)	Pullover	<i>Striga lanaea</i>
37 chaqueta, americana	Rock	<i>racana, rachana, racena, raca, raga</i>
levita	Gehrock	<i>vestis forensis, synthesis praefecto-toria, supravestis</i>
falda, faldón	Rockshoss	<i>scutula seu lacinia caracallae</i>
saco, traje de americana	Sakko	<i>raca saccina</i>
38 capa	Shaube	<i>mantum amplum [nianum]</i>
39 cuello de Schiller	Schillerkragen	<i>peritrahelium schillerianum (Byro-</i>
cuello de traje de marino	Matrosenkragen	<i>peritrahelium more nautarum</i>
40 smoking	Smoking	<i>vestis aut synthesis fumatoria</i>
41 chaqueta de punto (elástica en forma de chaqueta)	Strickjacke	<i>sagus acubus textus</i>
chaleco de punto (elástica que se abre por delante, pero no tiene el escote de la Strickjacke)	Strickweste	
42 sweater, elástica	Sweater	
43 tricot	Trikot	
44 jubón	Wams	<i>endromis manicata, Shiridota lusoria</i>
45 chaleco	Weste	<i>macula, petorale e maculis, thoracium e maculis</i>
» de una serie de botones (en el medio)	» einreihig	<i>dalmatica, bambasium, ml.</i>
» de dos series de botones (a los lados)	» zweireihig	<i>thorax</i>
46 uniforme	Uniform	<i>» binis globulorum ordinibus</i>
chaqueta de uniforme	Uniformrock	<i>vestis uniformis, synthesis formalis</i>
guerrera (chaqueta ordinaria que llevan los militares cuando trabajan o están en el frente)	Feldbluse	<i>tunica formalis</i>
americana	Litewka	<i>tunica campestris</i>
... (pedacito de tela doblado que llevan algunos uniformes en el hombro y que se abrocha de ordinario con un botón)	Schulterklappe	
espaldar, espaldilla, hombrera	Schulterstücke	<i>tunica polonica</i>
galón (cinta que se aplica a algunas prendas de vestir, como adorno)	Spiegel	<i>penniculus umeralis</i>
	Tresse	
		<i>insignia umeralis</i>
		<i>speculare</i>
		<i>limbus, patagium</i>

(1) Cf. fasc. 132, p. 148.

JOSEPH HOLZER, Rector Gymnasii

Cursus Gymnasticus

EL LAZARILLO¹⁾ DE TORMES²⁾

Salimos³⁾ de Salamanca, y, llegando⁴⁾ a la puente, está⁵⁾ a la entrada⁶⁾ della⁷⁾ un animal de piedra⁸⁾, que casi tiene forma de toro⁹⁾, y el ciego¹⁰⁾ mandóme que llegase cerca del animal e, allí puesto¹¹⁾, me dijo¹²⁾: «Lázaro, llega el oído¹³⁾ a este toro e oirás¹⁴⁾ gran ruido¹⁵⁾ dentro de él». Yo¹⁶⁾ simplemente¹⁷⁾ llegué creyendo¹⁸⁾ ser así. Y, como¹⁹⁾ sintió²⁰⁾ que tenía²¹⁾ la cabeza par de²²⁾ la piedra, afirmó recio²³⁾ la mano y dióme²⁴⁾ una gran calabazada²⁵⁾ en el diablo del toro²⁶⁾, que²⁷⁾más de tres días²⁸⁾ me duró el dolor²⁹⁾ de la cornada y díjome: «Necio³⁰⁾, aprende³¹⁾: que el mozo³²⁾ del ciego un punto ha de saber más que el diablo³³⁾». Y rió mucho la burla³⁴⁾. Parescímome que en aquel instante³⁵⁾ desperté³⁶⁾ de la simpleza³⁷⁾ en que como niño³⁸⁾ dormido estaba³⁹⁾. Dije entre mí⁴⁰⁾: «Verdad dice⁴¹⁾ éste, que me cumple⁴²⁾ avivar el ojo⁴³⁾ y avisar⁴⁴⁾, pues solo soy⁴⁵⁾, y pensar cómo me sepa valer⁴⁶⁾».

(*La vida de Lazarillo de Tormes*, Espasa-Calpe, pág. 76)

VERSIO LATINA

Salmantica excedentes pontem attigimus, in cuius aditu animal lapideum, taurum fere simulans, prostat; tunc vero caecus me propius ad animal accedere jussit; ibi ut constiui, «Lazarus, inquit, tauro aurem admove magnumque intus strepitum percipies». Quod ita esse ratus, ingenue ad illum accessi; cum autem caput ad lapidem appositum intellexit, manum acriter premens, caput in illam tauri pestem valido ictu impegit, ut cornus percussione tres amplius dies laboraverim; et, «illud tene, inquit, stultum caput, caeci ductorem ipso diabolo callidorem esse oportere», ac mirum de ludibrio edidit risum. Tunc denique ab illa animi simplicitate in qua, ut puer, obdormieram, excitari visus sum, ac tecum ipse sic locutus: «Profecto ita res est, meque oportet oculos aperire et cautorem esse — nam unus solusque sum — et, quo modo ex negotiis me expediam, cogitare».

COMMENTARIUM

1) **Lazarillo:** *ductor*. Cfr. «Ductor itineris hujus» (LIV. 1, 28, 6); ac meliore ratione, ut videtur, *dux*: «Duces impietas» (CIC. *Amic.* 12, 42). «Eunti ipse ducem dederat» (OVID. *Metam.* 6, 324).

2) **de Tormes:** *Termes*; quae tamen vox apud antiquiores Latinitatis scriptores non inventur (cfr *Lexique de Géographie Ancienne*, M. BESNIER, Paris, s. v.). Hic tamen genetivus Hispanicus neque genitivo neque ablativo Latino posse efferrari videtur; sed ex ipsa Latinitatis indole adjективum *Termensis* producendum; converte igitur: «Caeci dux *Termensis*».

3) **salimos:** *excedere, excedere ex*. «Gallia excedere» (CAES. B. G. 7, 66, 4); «Comitati eos ex civitate excesserunt» (CAES. B. G. 6, 8, 9).

4) **llegando:** *attingere* «speciatim ponitur de iis, qui in locum aliquem pervenient», (FORCELLINIUS, s. v.). «Britanniam attigit» (CAES. B. G. 4, 32, 2).

5) **está:** *prostare*. «Loco verbi esse, Latini eleganter usurpat verba significationis pressius definitae...» (ISSELE, *De Latinorum sermone* n. 150).

6) **entrada:** *introitus, aditus*. «Omnes introitus erant praeclusi» (CAES. B. G. 5, 9, 5).

•Quae *aditum* habere nullum potest in urbem, in forum. (Cic. *De fin.* 4, 9, 21).

7) **della:** animadverte converzionem in *relativum*, cujus ope orationes artius copulantur.

8) **de piedra:** *lapideus*; cfr. «pons, suggestus *lapideus*, mortarium *lapideum*», cet.

9) **que casi tiene forma de toro:** *taurum fere simulans; simulare:* «Hic ego vellem habere Homeri illam Minervam *simulatam* Mentoris [=quae Mentoris se similem fecerat, FORCELLINIUS, s. v.]» (Cic. *Att.* 9, 8, 2); vel *ad similitudinem tauri effectus*; cfr.: «Id ad similitudinem panis efficiebant» (CAES. *B. C.* 3, 48). — Nota in struenda oratione Latina formas verborum Hispanicorum esse permutatas (*salimus - llegando*: excedentes - attigimus), ac pariter varia illa subjecta Hispanica (*salimos - está un animal - el ciego mandóme*), quae rectum orationis sensum et cursum latine perturbarent.

10) **y el ciego:** aptiorem conficies orationem si varias propositiones primum interpunctionis signo separaveris, deinde ope conjunctionum *tunc vero* coniunixeris.

11) **e allí puesto:** *ibi ut consti*ti.

12) **me dijo:** *inquit*, quod verbum, interpositum inter orationem directam pro *dixit*, *respondit*, saepe adhibetur; *ait* fere in oratione indirecta usurpatur: «Ariatoteles *ait* hominem ad intellegendum et ad agendum esse natum» (Cic.).

13) **llega el oído:** *admoveare aures*, (Cic. *Orat.* 2, 36, 153). «Applicet aures» (HORAT. *Carmen Saec.* 71). «Praebere aures» (LIV. 38, 53). «Ut praebat aurem» (HORAT. *Sat.* 1, 1, 22).

14) **oirás:** *percipere* (translate). «Percipite, quaeso, diligenter quae dicam...» (Cic. *Cat.*, 1, 11, 27). «Quod neque oculis neque auribus, neque ullo sensu *percipi* potest» (Cic. *Orat.* 2, 8).

15) **ruido:** *sonitus, strepitus*. Encliticam *-que* conclusionem inducit aut rationem seu causam, aut, compendit instar, sententiam universalem. (ISSELE, *De Latinorum sermone*, 254, n. 2, c; CUPAIUOLO, *La versione latina*, pag. 33, 22) (Cfr. «Undique ad inferos tantundem viae est. Totaque de ratione humationis unum tenendum est» (Cic. *Tusc.* 1, 43, 104)).

16) **yo:** cum oratione superiore melius conjuges et *quod* relativum usurpabis.

17) **simplemente:** *ingenue*. «Aperte atque *ingenue* confitebar» (Cic. *Fam.* 5, 2, 2).

18) **creyendo:** *ratus*. «Nos abilisse *rati* et vento petisse Mycenas» (VIRG. *Aen.* 2, 25).

19) **y como:** *cum autem*. «Autem differt a *vero*; particular enim *vero* animi persuasionem significat ideoque semper aliquid affirmat, sed *autem* nullam prorsus animi persuasionem significat, sed eo tantum modo tendit ut alterum e regione alterius ponat». FORCELLINIUS. s. v. *autem*, Homonym.; cfr. etiam ISSELE, 265).

20) **sintió:** *percipere, intelligere*.

21) **que tenía:** commuta in verbum pressius rem significans: *apponere*.

22) **par de:** *ad (juxta)*.

23) **afirmó recio:** *manum vehementer, acriter premere (imprimere)*.

24) **dióme... en:** *impingere in*.

25) **una gran calabazada** [=golpe dado con la cabeza]: *caput valido ictu (impingere)*; aptius sic vertes quam per *ictum capit*.

26) **el diablo del toro:** *tauri pestis*; ut translaticio quodam modo dicamus ex Cicero, *Sext.* 14, 33.

27) **que:** hanc esse particulam consecutivam animadverte.

28) **más de tres días:** *amplius tres dies*. De voce *amplius* sic Forcellinius: «Saepissime conjungitur cum numeralibus adjectivis et aequo ac *plus* majorem gradum significat et orationis membrum quodammodo sustinere videtur» s. v. § 3; profertur vel ablativo: «*Hora amplius* jam in demoliendo signo moliebantur» (Cic. *Verr.* 2, 4, 43, 95); vel accusativo et fere numeralibus subsequitur: «*Duas amplius horas* dubium certamen sustinere» (LIV. 36, 38).

29) **me duró el dolor:** *laborare (ex)*. «Morborum aliquo *laborat*» (Cic. *Fin.* 1, 18, 60). «Cum ex renibus laboraret» (Cic. *Tusc.* 2, 25, 60).

30) **necio:** ex festiva stili narratione *stultum caput usurpari* potest; cfr. «Interdum caput pro homine ponitur etiam joculariter». Ridiculum caput! (TER. *Andr.* 2, 2, 34). Festivum caput! (TER. *Adolph.* 2, 3 8) (FORCELLINIUS s. v. *caput*, II, b).

31) **aprende:** *tenere*: «Ponitur saepe pro

intelligere, scire, videre, intendere, sapere: nam qui intellegit, rem animo quasi arripit vel occupat. (FORCELLINIUS, s. v. II, 3), «Nunc ego *tengo*, nunc ego *sco* quid sit hoc negotium» (PLAUT. Capt. 3, 5, 39).

32) **mozo:** dux, duxor.

33) **un punto ha de saber más...:** callidorem ipso diabolo esse oportere: locutionis Hispanicae sensus hic videtur esse.

34) **rió mucho la burla:** cfr. «Memini.. miros risus nos edere» (Cic. Q. Fr. 2, 9, 2).

35) **en aquel instante:** tunc denique, quibus particulis sequentia superioribus copulantur.

36) **desperté:** excitari, expurgisci. «Quae non me e somno excitetis. (Cic. Rep. 6, 12; Phil. 2, 68).

37) **simpleza:** animi simplicitas, ingenuitas.

38) **como niño:** puer, pusio. «In illo libro pusionem quandam Socrates interrogat quandam geometrica de dimensione quadrati. Ad ea sic ille respondet, ut puer» (Cic. Tusc. 1, 24, 57).

39) **dormido estaba:** obdormire, obdormiscere. «Endymion nescio quando in Latmo obdormivit; nondum, opinor, est experrectus» (Cic. Tusc. 1, 38, 92).

40) **dije entre mí:** loqui secum. «Quae vox declarat illum... in solitudine secum loqui solitum» (Cic. Off. 3, 1, 1).

41) **verdad dice:** «Res sic se habet» (Cic.); «Se isto modo res habet» (Cic.); «Ita profecto se res habet; ita prorsus» (Cic.); «Scilicet ita res est» (PLAUT).

42) **que me cumple:** opus est.

43) **avivar el ojo:** acriores oculos ad omnia adjicere, acrioribus oculis intueri. «Rerum naturam velut acrioribus mentis oculis intueri» (COLUM. R. R. 3, 8, 1); etiam aperire oculos: «Cotidie non desinis in viam me veram inducere, et oculos mihi aperire, ut vulgo dicitur» (M. AUREL. ad Front., cfr. FORCELL. s. v. oculus).

44) **avisar:** cautiorem esse; cauto opus esse (PLAUT).

45) **solamente:** unus solus. «Additur [adjectivo unus] et solus aut modo, tantum item ad majorem vim» (FORCELL. s. v. unus). «Uno illo solo antistite sacrorum dissidente» (Cic. Harusp. Resp. 1).

46) **cómo me sepa valer:** quo modo ex negotiis me expediam; cfr. «Videte in quot se laqueos induerit, quorum ex nullo se unquam expediet» (Cic. Verr. 2, 42, 102), «Quo modo hac me expediam turba?» (TER. Adelph. 4, 4, 5).

J. M. MIR, C. M. F.

Certamen Capitolinum III

Exitum Certaminis Capitolini III, die Urbis natali, in aedibus Capitolinis, Civitatis Magister, a. d. XI Kal. Majas renuntiavit. Latinus sermonis studiosi viri ex pluribus civitatibus, ex Italia, Gallia, Helvetia, Britannia, ex Foederatis Civitatibus Americae, ex Columbia ad Certamen contenderunt.

Certaminis praemium — argenteum sigillum, lupam Capitolinam imitatum, cui sigillo Summus litterarum artiumque liberalium Curator quinquaginta denariorum Italcorum milia adici jusserset — Professori Aloisio Guerlio, Salernitano est attributum.

Alterum praemium — argenteus nummus Capitolii imaginem referens, cui adjecta viginti quinque milia denariorum Italcorum sum-

ma — Professori Johanni Ambrosi, Perusino constitutum est.

Digni habitu sunt qui laude ornarentur Professores Carolus Grassi, Jos. Morabito, Stephanus Ranzi.

Scriptorum opuscula judicarunt P. Victor Genovesi, S. J. (Praeses), Prof. Honoratus Pescari (a Summo litterarum artiumque apud Italos Curatore electus), Prof. Aurelius G. Amatucci (a Civitatis Romanae Magistro electus), sen. Prof. Quintus Tossati (Instituti Romani studiis provehendis Praeses), Prof. Guerrinus Pacitti (ab actis).

IV Certamen indicitur; cuius leges in proximo fasciculo edentur.

Conjectanea Graeca

I. *Ad Marcum Aurelium εἰς ἑωτόν*, — Marcus Aurelius imperator Romanus (161-180) ultimis annis vitae expeditionibus absumptae cotidie fere, ex libris veterum et recentium philosophorum, observationes ad semetipsum sustentandum et consolandum excerpit. Illae animadversiones, Marco mortuo, duodecim libris a philosopho, imperatoris comite contractae in lucem prodierunt; a permultis lectitatae ac saepissime descriptae tandem non parum formae verborum genuinae perdiderunt. Quapropter textus memoriae hujus scriptoris Augusti Antonini majore diligentia creberrime potest corrigi; hoc loco duo tantum menda tollere studeo.

III 3, 5 Δημόκριτον δὲ οἱ φθεῖρες, Σωκράτην δὲ ἄλλοι θῆρες ἀπέκτειναν. «Democritum quidem pediculi, Socratem autem aliae bestiae (θῆρες = homines adversarii) sustulerunt». Numquam enim antiquis litteris Socrates pediculis periisse narratur, id quod magno argumento ad hunc locum emendandum est. Marcus Aurelius Socratem non pediculis, sed aliis bestiis, quae nihil nisi illi tres accusatores senis Atheniensis intellegi possunt, mortuum esse non ignoravit; isti quidem bruti saevique ut bestiae egerunt, Socratem persecuti accusaverunt, capitis damnarunt. Aurelius hos duos philosophos inter se ita opposuit, ut Democritum philosophum naturalem et physiologum veris animalibus interemptum, Socratem autem sapientem monitorem hominum et φιλάνθρωπον per homines bestiarios occisum faceret; auctor metaphora (θῆρες) ad istos persecutores Socratis merito notandos optime usus est; talis metaphora eadem jam apud Euripidem in Oresta 1272 occurrit. Necessitudo quaedam palaeographica et phonetica intercedit praeterea inter φθεῖρες et θῆρες; quo fit ut facile ille jocus scribae stupidi bis φθεῖρες exarantis emendetur. Sic oppido imperatoris distinctio inter crudelitatem naturae et malignorum hominum scribendo φθεῖρες... θῆρες declaratur.

Deinde XI 1, 3 ἔτι δὲ (scl. ἡ λογικὴ φυγή) περιέρχεται τὸν ὅλον κόσμον καὶ τὸ περὶ αὐτὸν κενόν καὶ τὸ σχῆμα αὐτοῦ καὶ εἰς τὴν ἀπειρίαν τοῦ αἰώνος ἐκτείνεται καὶ τὴν περιουσίαν παλιγγενεσίαν τῶν ὅλων ἐμπεριλαμβάνει;.. «(anima ratione praedita) etiam totum mundum et illud, quod mundum circumdat, vacuum et firmamentum (=stabilimentum = σχῆμα) mundi circumgreditur atque in aevi immensitatem se extendit et regenerationem omnium rerum periodicam complectitur...».

Hoc loco de mundo agitur, qui primo universe ὁλος κόσμος nominatur et tum in duas partes contrarias relativasque: τὸ κενόν et τὸ σχῆμα secernitur. σχῆμα vocabulum poëticum praecipue ab antiquissimis auctoribus adhibetur; cf. EURIPIDES, *Iphig. Taur.* 410; EURIP., *Troad.* 884 Ut porro ex opere, quod Hermanus Diels composuit et inscripsit •Die Vorsokratiker•, II (Berolini 1935 edit. quinta) 67, 28 apparet, talis oppositio, qualis est κενόν et σχῆμα, re vera apud Diogenem Apolloniatem invenitur; inde existimare licet Marcum Aure-

lium hoc loco cuiusdam partis libri illius Diogenis mentionem fecisse. Et equidem opinor hoc fragmentum cosmologicum ex Diogene sumptum pertinere usque ad verba imperatoris τῶν ἡλων ἐμπεριλαμβάνει. Inuria σχῆμα scribae pro σχῆμα posuerunt, lectione σχῆμα difficiiore neglecta, qui loco o simpliciter
ο sistebant.

(sequar)

EMIL ORTH

Commercium epistulare

Andreae Avenario, presbytero S. V. D. colendo Josephus Holzer sal. plur.

Paucis abhinc hebdomadis Mirus noster epistulam tuam prid. kal. dec. ex urbe datam ad me transmisit. Ad cuius calcem Mirum certiores fecisti me mihi nomen Xylandri imposuisse. Feceram sane id aliquando ardore raptus juvenili. Verumtamen cum me quidam in virorum circulo corripuerat, quod me alienis ornarem pennis nomine belli ducis affectato, tum ego: «Habent sua sibi Xylander, dux belli ille Austriacus, mihi ignotus. Ipse sequor morem Xylandri humanistae, cuius ne nomen quidem tibi notum est, ita videtur saltem, nedum vita et res gestae». Quia tamen interpellatione atque objurgatione iniqua effectum est, ut Xylandro abdicato me, cum sim omnino ligneus, fecerim interdum per jocum *Ligninum*.

Equidem ipse, postquam a. MCMXXXXIII vulnere quintum in Russia excepto missionem causariam accepi, de «internubio» diu mediatus «consortiōnem conjugii» facere ausus sum. Quam tamen dictionem non significantiōrem esse puto «internubio» quod magis arridet quam Romani «conjugium per stirpes», germanice *Sippenehe*. Sed mittamus illa. Satis disceptatum est. Viderint interim sapientiores, nobis «internubio» contentis.

Jam venio ad ea, quae habet epistula de re rationaria nomina.

1) «descriptio computationum et nominum»: bene. —Ipse ponerem perspicuitatis causa «computuum», etsi haec vox est posterioris aetatis et labantis Latinitatis.

2) «mensae perpetuae calculationis», 3) «mensae pecuniae collatae»: nihil habeo melius.

4) «tituli pecuniarii»: bene. 5) «effectiva»: Adde «pecunia», ut tollatur confusio. 6) «bibliopolium»: Cur non dicas «librorum redemptura» aut «officina libraria»? 7) «periodica liberae venditionis». 8) «periodica venditionis tributariae»: Cum omnis negotiatio constat ex empto et vendito, ut ait Seneca, etiam sub numeris 7 et 8 «negotiationis» et «permutationis» bene audiant. 9) «cessatae pensiones sortium» ipse: «expunctae pensionum sortes». 10) «debita productae, exiguae diei»: Ipse dicerem «debita longinquo», «propinque solvenda».

11) «pensiones redhibitoriae»: Nonne revera sunt usurae, quae ex pecu-

nia in instituto quodam collocata percipiuntur? Qua de causa nominarem «usurae pensionum», «fenera ex pensionum solido», «pensiones usurariae». 13) «ratio sumpturaria»: *Etat* in genere: «rationarium»; nostro loco: «rationarium sumptuum», si in antecessum fit: «sumptuum aestimatio», «praesumptio futuri accepti et expensi». 14) «consortium sponsonis partitae»: Laudo proboque. 15) «cuncta onerum»: Tacitea dictio, qualem in sermone technico repudio. Ipse: «onerum complexio». 16) «rationes perscriptae»: bene. 17) «debita activa»: Quid non «pecuniae creditae», debita in nominibus, «nomina non expuncta», «debita non dissoluta»? 19) «transferenda, translata»: adde «summa». 20) «transcriptiones»: aliud non praesto est. 21) «bilancia», cet. Dic «bilanx». 22) solidum: est «capitale», «sors», non «reliquum» aut «residuum». quod acceptorum et expensorum exaequatione efficitur. Adhibe «residuum», aut «reliquum». 23) *Umsatz*: «permutatio aut ratio negotialis» mihi est in usu. «Motum» adhibens nimis dedisti sermonibus romanicis, si recte vidi. Fortasse vel a parte stas meliore. Accipe porro ulteriora: A) *Umsatzgüter*: «bona negotialia», B) *Umsatz der Passiva*: «negotialis ratio s. permutatio pecuniarum debitatarum», C) *Ums. der Aktiva*: «negotialis ratio s. permutatio pecuniarum creditarum», D) *Ums. des Aufwandes*: «negotialis ratio s. permutatio sumptuum», E) *Gesamtumsatz*: «summa negotiationum aut permutationum, complexio rationis negotialis, orbis permutationum», F) *Umsatzsteuer*: «tributum e permutatione negotiali, tributum rerum venalium».

Ad finem veni. Rursum cognovi satis vehementer e vocabulorum elenco, quem attuleras, quanta urgeret dictionarii de rebus et argentaria et rationaria necessitas. Ejusmodi quidem indicem ut concinnaret, Institutum Studiorum Romanorum, quod est Romae, consilium cepisse in actis diurnis legi, sed propositum illud in effectum perductum esse non videtur. Sic grande illud opus —an dicam onus?— opus igitur explendi lacunam, quae est in usitatis lexicis, nostris umeris est impositum.

Proinde carpamus dies, quos dat Deus, ut ea, quibus maxime indigemus, vocabula fingamus, ne saeculis venturis desit ad latine loquendum et scribendum vocum thesaurus necessarius. — Modo video me numerum 12, qui «securitates» continet, praeterisse pro mea neglegentia. Extermina «assuraciones», quas libenter mittamus, quia eis non indigemus, atque omnia optime composita sunt. Quandoquidem de securitate sermocinamur, appono pro *Haftpflichtversicherung* «securitatem spōnsionis civilis»; addo: «securitatem de vita, contra casus, c. incendia, de senectute, de otio invito, securitatem pangere». Habesne aliquid pro *Berufsberatung* (orientation professionnelle)? Probatur tibi «initiatio professionalis»?

Quod superest, tribus abhinc septimanis cursualis fascis scita manu involutus e collegio Verbi Divini Romano meas in manus traditus est a tabelario. Aperui et —vix credo oculis— involumento replicato PALAESTRAE LATINAE collectio in conspectum venit. Ambas tibi laetus et beatus porrigo manus,

mi Avenari, ut pro tua benevolentia singulari grates agam. Beneficium autem acceptum suo tempore me spero posse solvere. In praesentiarum vero nescio, num magis me dicam beatum propter thesaurum benigne allatum an tuam in me praedicem humanitatem. Id unum valde doleo, quod fasciculi ceteri uti charta postali edocuisti, non jam inveniri possunt.

Fac caveas ab autocinetis, ne mihi flebilis occidas ante tempus!

Vale et salve.

Lebach XIII kal. febr. MCMLII.

PAUCA DE BIROTA ET VIA FERREA

Re digaria absoluta ⁽¹⁾ sese offert in conspectum rotae motricis in birota modiolus, cuius partes praecipuae sunt tympanum liberum et frenum retrogradum (*piñón libre y freno de retroceso*). Praeterea insunt hae particulae: 1 *eje: axis*; 2 *corona dentada: c. dentata*; 3 *cojinete de bolas: cubile sphaerularum*; 4 *caja del piñón: capsula modiolis rotae liberae*; 5 *mordaza del freno: freni buccula*; 6 *cono de freno: conus freni*; 7 *palanca del freno: phalanga freni*; 8 *pedal: scanneriorum*; 9 *engrasador: lubrificatorum*.

Rotae liberae vero functionem, Novum Lexicon Herderianum, Vol. I, col. 1215 adhibens, sic describo: Rota libera est molitus in rota motrice birotae hodiernae viribus parcens. Liberae autem rotae modiolus constat ex modiolis capsula, axe coronaque dentata, quae cum modiolis ita copulata est, ut conjungi et disjungi possit, prout res postulat. In birota porro agitanda cylindri aut coni per curvata spatia ad internam capsam modiolis rotae posterioris tam arte apprimuntur, ut capsam secum abripiant. Pedum agitatione intercepta solvit copulatio atque perstat modiolus se circummagere. Pedali autem cupula retro agendo efficitur frenatio; freni conus cum copulatione ungulam aut coronam imitantem sinistrorum inversus lamellati freni discos frenatorios et quiescentes et se versantes ad invicem apprimunt aut interiores bucculas, quando freni involumentum exscissatum est, in modiolis parietem adigit.

Ultimo loco sibi postulant nomina Latina *maniobras, instalación, de maniobras, locomotora de maniobras*. Re diu multumque perpensa inclinat animus, ut illa in via ferrata opera nominem «distributiones aut dispertitiones». «Machina vectrix dispertitur aut diribet», ad justum tractum aut curruum ferreorum agmen ordinandum. Divergit transviaria vectura. «Statio curribus diribendis, distribuendis, disperiendis, statio divergii». Sed, ut ingenue confitear, aliquid ambigui his inesse vocibus usque sentio. Fortasse lectoribus meliora suppetunt.

JOSEPHUS HOLZER, *Rector Gymnastii*

Lebachio.

(1) Cfr. fasc. 131, p. 134.


Nova et Vetera

II. De humani corporis sensibus

3. *Odoratus seu olfactus est odorandi sensus vel facultas; itemque actus est odorandi, qui alia quoque voce odoratio dici solet.* Ad rem Tullius: «Delectatio, voluptas suavitate auditus animum deleniens; et qualis est haec aurum, tales sunt et oculorum et tactilium et odorationum et saporum, quae sunt omnes unius generis ad perfundendum animum tanquam illigetae voluptates» (*Tusc.* IV, 9, 20).

Jam vero *odorare* est tanquam odore aliquid imbuere odorumve illud facere; *odorari* autem proprius est olfacere, odores percipere, ex odore aliquam rem deprehendere. Atque «nares, eo quod omnis odor ad supera fertur, recte sursum sunt» (*Cic.*, *Nat. Deor.*, II, 56, 141).

Apparatus vel organum sensus odoratus est *nasus*. Quod quidem est prominens in facie hominis membrum, utrumque inter oculum, gemino foramine praeditum, unde spiritus vel etiam ore clauso ducitur et emittitur odoraque una rerum vis sentitur. Ceterum *nares* omnino illa sunt foramina nasi per quae odores spiritusque ducuntur.



Itaque *nasus* incipit ad *interciliū*, quod medium est inter cilia et supercilia spatiū. Datus nobis a natura, cum respirationis tum olfactus gratia. Demittit se *nasus* duas inter genas discriminaturque in duo spiracula seu spiramina: *nares*. Etenim «nares, quae semper propter necessarias utilitates patent, contradictiores habent introitus, ne quid in eas, quod noceat, possit pervadere, humoremque semper habent ad pulverem multaque alia depellenda non inutilem» (*Ib.*).

Per eas vero demanans mucus vibrissarum ope detinetur, ne defluat ante emunctionem, quo se homines mucinno aptius emungant. Orbiculus ille protuberans nasi *pirula* vocari potest; et puluae seu partes carnosae utrinque saepientes sunt tanquam ipsius alae. Cartilago autem discriminans *nares* *interfinium* dicitur; verum pars recta nasi est columnā quae, si admodum in medio assurgit, nasum aquilinum facit.

Jam nunc terius sensus est *odoratus* varios quidem multiplicesque odores ad internoscendos natus. Quae subtilissimae rerum sunt quasi exhalationes quae, perminando ad *nares*, animum vel grate afficiunt, ut sunt suave olentia, scilicet *odorum* suavitas qui afflantur e floribus; vel eundem mo'este et injucunde, ut grave olentia, afficiunt.

Itaque adusta caro exhalat nidorem et putida putorem; rancida rancorem, quale esse solet lardum aut arvina; morticina autem foetorem. Omnia mucida situve corrupta potent et rancida aestimantur. In rerum natura existant olida, grave

olentia, subrancida, odora, suave olentia, fragrantia: abalent allium alia, alia rosam redolent. Vel cum Vergilio: «Redolentque thymo fragrantia mella». Ex quo est odor gravis, ingratus, injucundus, insuavis, malus. Qui quidem abolescit, defluit, evanescit, evaporat, exspirat. Unguenta, quod ait Plinius, ilico exspirant.

Si nunc scire vis; quo modo fiat olfactio, en tibi pauca. Exterior circa pirulam nasus est corneus vel potius cartilagineus; a medio vero incipit esse osseus. Quod quidem os variis est foraminibus cribri instar aut spongiae pertusum: quapropter physicorum sermone cribiforme nuncupari consuevit.

Ex his foraminibus duo sunt majora, quibus gemini facilis meatus ducantur. Horum alter ad intimum nasum pertingit; unde sicut per canalem excrementa cerebri ad nares deferuntur pituitaque percolatur; alter autem versus palatum tendit vocaturque idcirco processus mammillaris, quod os illud cribarium non multum absimile est mammillae orarum. Quo adhaerentes carunculae, aërem cum attrahimus et transmittimus odorem, dilatantur; constringuntur vero, cum exspiramus. Itaque olfacimus et odoramus homines.

4. *Gustus* est striatiore vocis significatione sensus linguae, cuius ope saporem rerum sapidasve qualitates cognoscere possumus. Latiore autem sensu est gustus

tanquam initium cenae vel gustatio. Translate vero
gustus pro sapore quoque poni solet.



Vocabulum *gustatus* idem proprie est atque *gustus*; itemque ipse *gustandi* actus potiusve sapor. Itaque alias est sensus *gustus* seu *gustatus*. De quo Tullius: «Jam *gustatus*, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera debet, habitat in ea parte oris, qua *esculentis* et *potulentis* iter natura patefecit» (*De Nat. Deor.* II, 56, 141). Pauloque inferius: «*Gustatus* praeclare saeptus est; ore enim continetur, et ad usum apte et ad incolumentis custodiam».

Jam vero *lingua*, *gustatus* sensus apparatus praecipuus, est pars humani corporis parvula in medio ore sita et voci conformandae dignoscendisque saporibus rerum natura destinata. Cui plane magna, sicut et aliis sensibus, vis rerum internoscendi. Unde optime Cicero: «Nariumque item et *gustandi* pariter et *tangendi* magna judicia sunt. Ad quos sensus capiendos et perfruendos plures etiam, quam vellem, artes repertae sunt. Perspicuum est enim, quo compositiones unguentorum, quo ciborum conditiones, quo corporum lenocinia processerint» (*Ib.*).

Homo examinat *sapores* lingua, sui penitus poroso ac nervoso membro corporis. Atque hujus palatique ope deprehendit mel esse dulce, fel amarum, acetum acidum, piper acre, labruscum acerbum, fructum maturum vel sapidum et immaturum vel austерum. Multa vero in natura rerum sunt linguae insipida, hoc est: corrupti, ingrati, infirmi fatuique saporis vel etiam insulsi.

Quaedam *gustui* sunt acidula, subacida; quaedam dulcicula, subdulcia. In quibusdam rebus pinguis sapor aut dulcitudo datur. Mel, ait Tullius, suo proprio

genere saporis dulce esse sentitur. Sunt fici pingues et languide dulces palmae, juxta Plinium. Alias Columellae infirmi saporis vinum nec perenne est. Quaedam mustea; quaedam amara, amarulenta, fellea. Alia acescunt, amarescunt, exacescunt; alia dulcescunt, edulcentur; alia adstrictione linguam vellificant. Illudque Lucretii: In os salsi venit humor saepe saporis, cum mare versamur propter. Paucis: gustatus judicat dulce, amarum, lene, asperum.

5 *Tactus* denique actus abstractarumque more rerum est ipse actus tangendi, quae dicitur etiam tactio; concreta vero, ut ajunt, significatione unus est ex quinque corporis humani sensibus. De quo perbel'e scripsit Tullius: «Tactus autem toto corpore aequabiliter fusus est, ut omnes id est omnesque minimos et frigoris et caloris appulus sentire possimus» (*De Nat. Deor.* II, 56, 141).

Spirituum animalium veluti sedes in cerebro est; unde illi, excurrendo nervorum ope ad oculos, aures, nares, linguam rotumque corpus, efficiunt ut quidquid nos contingit, quale sit, sensibili quodam modo cognoscere possimus. Caleantne aliqua res, an frigeat, comperies tangendo: tanquam uruntur manus frigore et mordentur algore. Utrum aliquid humidum, an siccum sit, prensando scies; durum an molle, comprimendo; asperum an leve, attrectando; grave an leve, attollendo; ubinam sit in tenebris, palpando.

Jam vero primarius sensus et longe in homine extensus est tactus, toto in corpore fusus, praesertim autem in nervis, carne, cute. Quo quidem sensu si afficiimur blande voluptas erit; si moleste, dolor. Ad rem Latinus Orator: «Omne id quod gaudemus, voluptas est; ut omne, quo offendimus, dolor. Si blanditis presentationibus quis afficitur, erit illi titillatio; si minutulis compunctiunculis, pruritus».

Manus sunt hujus tactus sensus apparatus praecipuus. De quibus Tullius Cicero: «Quam vero aptas quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit! Digitorum enim contractio facilis facilisque porrectio propter molles commissuras et artus nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad scalpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiarum apta manus est, admotione digitorum» (*Ib.*).

Sed haec haec tantum. Non nulla dumtaxat de humani corporis sensibus, in tironum commodum, adhuc perstrinximus. Omnia quidem in eis mira mirandaque natura effecit. Neque immerito; nam homo, juxta philosophorum placita, verus est «microcosmus». Cujus plane caelum est animus; in quo sol ratio atque lumen voluntas. Hujus vero actiones et actus reliqua sidera: errantia videlicet, si a recta. mentis semita comitant; fixa vero, si constantem servant et imperturbatum virtutum ordinem.

«Microcosmi» verum hujus mirabilis mundus inferior est corpus: in quo caro terra; in quo sanguis aqua; in quo spiritus vitalis aer; et bilis ignis; et cor aurum; et cerebrum argentum; et sensus gemmae; meteora vero affectiones; fulmina vero ira; tristitia vero pluvia.



VOCABULARIUM

<i>Acidus</i> , mordaz (<i>lingua acida</i>)	<i>linguae solutio</i> , soltura de la lengua
<i>acutus</i> , fino (<i>nares acutae</i>)	<i>mucinnum</i> , pañuelo
<i>aduncus</i> , agujileño (<i>nasus aduncus</i>)	<i>nares</i> , ium, ventanas de la nariz
<i>apertio oris</i> , acción de abrirse la boca	<i>nasutus</i> , narigón, narigudo
<i>asper</i> , a, um, encallecido (<i>manus asperae</i>)	<i>nidor</i> , olor de lo que se quema
<i>buccae</i> , arum, carrillos	<i>odoramentum</i> , perfume
<i>collitus</i> , aplastado (<i>nasus collitus</i>)	<i>odorarius</i> , perfumista
<i>corrugare nares</i> , fruncir las narices	<i>odoratio</i> , acción de oler
<i>dulcescere</i> , empezar a endulzarse	<i>odoratus</i> , fragante (<i>flores odorati</i>)
<i>dulciarius</i> , confitero	<i>odores incendere</i> , quemar perfumes
<i>dulciola</i> , orum, pastelillos	<i>olfacere sagacissime</i> , tener el olfato muy fino
<i>duleitudo</i> , dulzura	<i>olfactorium</i> , frasco de esencias
<i>gravis</i> , penetrante (<i>odor gravis</i>)	<i>os</i> , <i>oris</i> , boca
<i>gustatorium</i> , principio, primer plato	<i>pinguis</i> , áspero (<i>sapor pinguis</i>)
<i>gustus vini</i> , un sorbo de vino	<i>salsus</i> , salado (<i>sapor salsus</i>)
<i>bebés</i> , etis, poco expedito (<i>lingua bebés</i>)	<i>sapor</i> , sabor
<i>imbrex narium</i> , fosas nasales	<i>siло</i> , chato, romo
<i>infirmus</i> , de poca fuerza (<i>sapor infirmus</i>)	<i>sternutamentum</i> , estornudo
<i>interfīnum narium</i> , caballote de la nariz	<i>tactilis</i> , palpable
<i>jucundus</i> , agradable (<i>sapor jucundus</i>)	<i>tactio</i> , tozamiento
<i>labra movere</i> , cuchichear	<i>tacto</i> , tocar con frecuencia
<i>labris (in) primoribus</i> , en la punta de la lengua	<i>torvus</i> , áspero (<i>vox torva</i>)
<i>labrum</i> , labio	<i>vibrissac</i> , arum, pelos de la nariz
<i>lingo</i> , lamer	

ILDEPHONSIUS GONZÁLEZ, C. M. F.

Bibliographia

PAUL ABBISCHER. — *Estudios de Toponimia y Lexicografía Románica*. Publicaciones de la Escuela de Filología de Barcelona. 1948.

Maximi quidem momenti sunt in scientia et philologia Romanica hae quinque Domini Paul Aebscher elucidationes de etymología vocabulorum «español», «catalán» et «Cataluña», «vignoble»; de historia vocis «marítimus» in linguis Romanicis; dentique de nominibus «manzana», «manzano», «manzana» in linguis Romanicis, juxta vero adhuc cognita Latina aevi mediæ documenta.

Quaestio nempe de nominibus fructus «manzana» directe ab egregio scriptore conectitur hac in monographia cum

historia linguarum atque pristinarum aetatum: *pomum*, *malum*, *abella*. Ejusdemque autem sententia, admodum hodieum ignari sumus cum de cultu tum de commercio pomorum in antiquitate illa Graecolatina, de qua tot ad nos thesauri convenerunt et notitiae. Igitur facile, quod ipse vides, de unis nominibus quaestiones in de rebus converti possunt: a voce scilicet ad rem valeat fere illatio.

Valde hoc commendandum opellum ex sermonis perspicuitate atque stilla nitore. Ceterum scriptoris nomen jam notissimum est in Litterarum Romanicarum provincia, quarum quidem auctor est fundatissimus.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

FERNANDEZ GALIANO, M. — *Herodoto, nueva versión directa*. Barcelona, 1951, 231 pp. (Clásicos Labor)

Grato quidem animo opus accipendum est Doctoris Fernández Gallano, quo selecta Herodoti Historiarum fragmenta hispanica lingua donantur. Brevis de vita auctoris agitur, ejusque operis litterarum atque historicum monumentum illustratur; versio deinde fragmentorum profertur, cui denique caput additur de Herodoti influxu in posteros, in quo brevis sed accurata de versionibus, diversis linguis exaratis, notitia traditur.

Notatu digniora videntur, quae auctor edisserit de Hispanis versionibus, sive ex toto sive partim tantum, cum directe tum indirecte, olim confectis.

Optima dicenda est anthologia narrationum, quas Herodotus e populorum traditione mutuatus est, quos longo itinere inviserat. Praesertim quae de Aegyptiorum moribus et factis ille historiae parens tradidit, stilo praestant facundo, alacri, vario.

Historiarum genus historicum ad genus pertinet λόγων sive traditionum viva populorum narratione ortarum, quibus tamen critica recentiorum investigatio, fulciri potest ad veram illius aevi historiam condicionem rite cognoscendam.

Versio Hispanica diligenter cura et sollertia polita est, qua lector manu duclitur ad primigenit textus lectionem.

PAULINUS M. BELLET, O. S. B.

D. TRAVERSI. — *Shakespeare, Traducciones por C. Vázquez de Castro*. Barcelona, (Clásicos Labor, XIV) 1951, 8.^o 276 pp., 1 lámina.

Quibusdam breviter praemissis de vita illius magni poëtae Anglici, deque ejus dicendi facultate, auctor nonnulla attingit de theatri condicionibus ejus temporis. Dein selectiora nobis praebet ex dramatum collectione shakespeareana, nova interpretatione Hispana comitata et commentariis instructa. Quae qui-

dem hoc ordine patent: «La obra juvenil de Shakespeare (*Enrique IV, Enrique V*). Las comedias problemáticas (*Troilo y Cresida, Medida por medida, Hamlet*). Las grandes tragedias (*Otelo, Macbeth, El rey Lear, Antonio y Cleopatra*) Las comedias finales (*El cuento de invierno, La tempestad*). Los poemas de Shakespeare (*Los sonetos*).»

Tandem agitur de influxu Gulielmi Shakespeare in posteros.

Ad locos quod attinet qui in hoc volumine continentur, affirmare non audeo utrum selectiores omnium sint necne. Difficile enim dictu est. Omnia siquidem quae Anglicus ille poëta — classicae quidem antiquitatis studiosissimus — composuit, usquequaque pulcherrima sunt, et omnia ingenio ejus adeo referta, ut quamvis alia alii maturiora, fere nunquam alia minus alii miranda.

SEVERIANUS

LUIS FLÓREZ. — *La pronunciación del Español en Bogotá*. Publicaciones del Instituto Caro y Cuervo, VIII. Bogotá, 1951.

Litterarium Institutum Bogotanum «Caro y Cuervo» in vulgus novum, idque praestantissimum volumen, qua consuevit et concinnitate et doctrina, edidit; quod est octavum propriae Bibliothecae volumen, cui quidem titulus: «La pronunciación del Español en Bogotá». Adscribendum vero opus hoc praeclaro Dr. Aloisio Flórez, Sectionis Dialectologiae ejusdem litterarum Instituti Praesidi.

Post accommodam certe praefationem (pp. 7-11) ab egregio et pulcre noto philologo Thoma Navarro exarata, brevis sed conquisita libri hujus Introductio (pp. 13-17) consequitur Ibi Dr. Flórez cum institutum tum methodum sui operis legentibus monstrare intendit.

Quinque admodum variae longitudine partes quasi corpus constituant hujus sententiosi densi confertique operis.

I Vocalismo (pp. 33-136). II Consonantismo (pp. 139-268). III Fenómenos especiales (pp. 271-301). IV Acento (pp. 305-321). V Conclusiones (pp. 325-331).

Libenter equidem «Palaestrae» nos trae lectoribus magis amplam notitiam conderemus de evolutione atque arte hujus capitalis libri litteraturae Columbianae: quod esset forsitan a recensionibus absonum in hac Commentarii pagina bibliographica. In Commentario autem «Virtud y Letras», año XI, núm. 42, in re publica Colombiana edito a Missionaritis Claretianis (Manizales, Caldas) dissertationem ampliorem de eodem libro, cuius facile lectores tenorem cernant, fecimus.

Sed haec hactenus. Nostra ex imo corde gratulatio Bogotensi illi Instituto, cuius est semperque erit magnificare duo maxima litterarum Columbianarum lumina: «Caro y Cuervo». Atque nostra praesertim gratulatio Dri. Flórez, de cuius gnaritate in litterarum humaniorum provincia cum novas tum secundas lucubrationes sperare meliusque ominari possumus.

EDUARDO VALENTÍ — *T. Lucrecio Caro: De la Naturaleza*, libro primero. Consejo Superior de Investigaciones Científicas, Barcelona 1948.

Excepta editione illa Domini Joachim Balcells (textus et traductio Catalaunica, Barcelona, Fundació Bernat Metge, 1.^a ed. 1923, 2.^a ed. 1932), nullus adhuc altus Lucretii textus in Hispania editus est. Commodum igitur et amplum nostris alumnis ab scriptore hunc edente librum, adminculum laboris in philologia classica praebebitur.

Accurata eaque eruditia introductio, quae plus quam 100 pagellas capit, lectori uno tenore offert, maxima in universum subtilitate atque aequilibrio, hodiernum scientiae et cognitionis momentum de vita, doctrina, opere Lucretii.

Pagellae studio theologiae Epicureo-

rum dicatae (pp. 65-70), maximo opere argutis sententias in hac difficultate quæstione abundant. Quod vero attinet ad linguam, stilum artemque metrictam, quibusdam forte angustis sermonem laborare dices. ex eo nempe quod scriptor rem minutatim nimis amplecti voluit, valde tamen in utribique discussam. De doctrina Lucretii deque pondere intellectuali «carminis» acriter disputare D. Valentí, quibusdam forte videatur

In textu vero desiderares apparatus criticum, cum tot existent «variations» hujus operis. En tibi denique totius operis index. Introductio (pp. 11-114) I Homo: Tempora biographica, poëta ejusque tempus, poëta ejusque opus. II Doctrina: Atomistica, Epicurus, physica, psychologia, ethica, theologia. III Opus: Compositio, fontes, lingua, metrica, textus. Consequitur elenchus præcipuorum siglorum operum in libro adhibitorum (pp. 115-117). Exstat tum præfatio in librum primum (pp. 121-129). Denique textus cum commentario (pp. 133-293). Maxime commendamus opus hoc lectoribus nostræ «Palaestrae».

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

RAFAEL SEMPERE, S. J. — *Selecta Latina*, 7.^a edición. E. Subirana, S. A. Barcelona 1951.

Quam benevole sit hoc opus Rdi. P. Sempere S. J. a magistris et alumnis acceptum septima editione plane comprobatur. Quod opus breviter complectitur tum octo illas Caesaris per Gallicum fines expeditiones, tum non nulla Ciceronis, Ovidii, Catullique excerpta. Methodus et ratio quam adhibuit auctor, maximam consequitur laudem, praesertim cum paedagogicas regulas et complurium professorum desideria sequuntur, primum sine adminiculis textum protulerit, deinde luculentum notulis perutilibus refertum confecerit commentarium.

M. MOLINA, C. M. F.

Compositiones Vertendae

CICERON (VIII)

El período (108) tuvo en él una amplitud y sonoridad (109) cual no se encuentra en ninguno otro; y tenía en esto tanto cuidado (110) que le fué achacado a defecto el que (111) anduviese en busca (112) de cadencias sonoras (113). Pero él no (114) usó, como sus vanos imitadores, períodos demasiado sonoros (115) para ocultar (116) la pobreza de ideas (117), sino que (118) expresa con amplitud y sonoridad (119) profundos y robustos pensamientos, sentimientos nobles y levantados (120). Y estaba convencido (121) que podía de aquel modo más fácilmente deleitar y conmover a un pueblo que (122) en el teatro (123) protestaba a grandes voces (124) si se cometía el más pequeño desliz (125) en los versos (126) o en la música (127) o en la pronunciación (128) y caía en la cuenta, si faltaba el ritmo (129) a la prosa (130).

NOTAS: (108) Comprehensio et ambitus verborum. (109) Esse apud illum maxime grandis ac numerosus. (110) Adeo diligenter perficere. (111) Vitio alicui dare, quod. (112) Consectari. (113) Clausulae ac sonum exquisitae; clausulae numerose cadentes. (114) Neque. (115) Arguti et circumscripsi verborum ambitus. (116) Tegere; tegere ac velare. (117) Inopia rerum. (118) Et. (119) Exprimere verbis plenis ac sonantibus. (120) Graves atque acres sententiae, magnifice et generose quodam modo. (121) Credere. (122) Ea multitudo, quae [con subjunt.] (123) In theatris. (124) Vehe- menter reclamare. (125) Si paulum modo of- fensum esset. (126) Versus. (127) Numeri ac modi. (128) Appellatio litterarum; appellan- dae litterae. (129) Abesse numerus. (130) Ora- tio; soluta oratio.

DIGNIDAD DE UN ROMANO

Hay un valor moral admirable (1) en los dichos (2) al igual que (3) en los hechos de P. Rutilio. Como rechazase (4) una injusta petición de cierto amigo y éste le hubiese dicho con ¡ncalificable despecho (5): «¿Qué (6) nece- sidad tengo de tu amistad si no haces lo que [té] ruego?» —contestóle (7): «¿Y (8) qué [necesidad tengo] yo de la tuya, si en atención á ti (9) corro riesgo de no portarme honradamente? (10). En armonía con estas palabras (11) estuvieron sus obras, porque habiéndosele enjuiciado (12) más bien por cuestión de clases sociales (13) que por alguna culpa suya, ni se vistió un traje viejo (14), ni depuso las insignias de senador, ni dijo nada que desdijera del esplendor de sus pasados tiempos (15), e hizo que el proceso (16) fuese no obstáculo sino prueba (17) de su dignidad moral (18). Y lo que es más (19), aun cuando el triunfo de Sila le facilitara volver a la patria (20) quedóse en el destierro, para no conculcar en nada las leyes (21).

NOTAS: (1) Admirabile robur inesse. (2) Verba. (3) Aequa ac (4) Desistere. (5) Per summam indignationem. (6) Refuercese con un ergo. (7) Inquit, intercalado en la frase siguiente. (8) Rectifiquese la frase reforzándola con immo. (9) Propter te. (10) Por perifrásica: aliquid in- honeste facere. (11) Huic voci consentaneus. (12) Reum facere. (13) Ordinum dissensione. (14) Obsoleta vestis. (15) Nec dicere quid- quam splendore praeteritorum annorum humilius. (16) Periculum. (17) Experimentum. (18) Gravitas. (19) Atque etiam. (20) Reditum in patriam praestare. (21) Ne quid adversus leges faceret.

Ordinarli ac Superiorum licentia